

vivis appositarum, ipsos omnes rabiem contraxisse, testis est *Baubinns*. Non minus à cibo vel potu quem homo rabidus vel à cane rabido commorsus gustarit, venenum hoc propagari potest. Nonnulli ab exhalationibus urinæ animalis rabidi, hominem infici posse asserunt. Refert etiam *Zacutus Lusitanus lib. 3. Observ. 82.* rabiem communicatam per gladium, cum generosus quidam gladio canem rabidum circumfodens, post octo annos, irâ percitus tres eo gladio graviter læderet, vulnera quidem sanata fuisse, verum post tres annos in rabiem agitato mortem oppetiisse.

An autem citra communicationem à principiis internis venenum hoc in homine generari possit, dubitatur, cum & Antiqui scriptores memoriæ mandarint, rabiem homini semper ex contagio non spontè advenisse. EXPERIENTIAS tamen illud confirmare videmus, Virorum non suspectæ fidei, *Marcelli Donati, Petri Salii diversi*, imprimis autem felicissimi *Plateri*, qui *Observat. suarum lib. 1.* elegantissimam & notatu dignissimam annotavit Historiam de Sutoris cujusdam uxore, quæ circa annum 1593. sub concamerato opere in rivulo urbem interluente corium lavans, nocte instante à vicinis deserta atque relicta, solitudine perterrita domum rediit, ab eoque tempore neque aquam neque vinum nec jusculum, nec aliud quicquam liquidum deglutire potuit, sed confestim hisce oblatis magisque ori inditis, suffocandæ similis, spiritum cum vociferatione interclusum quasi traxerit, subjungit etiam, fœminam hanc ex solo contactu atque conspectu liquidorum idem accidens passam esse, neque cessasse symptoma hoc, nisi liquidis è conspectu ablatis, & quod maximè mirari licet, aerem nonnihil agitato, vel auram lenem sentientem idem perpessam fuisse, quæ octavo à prima invasione die debitum naturæ solvebat. Narrat non minùs *Soranus* se vidisse infantem, ubera matris expavescentem, sine ullo præcedente contagio. Haudquam deficient nobis AUTHORITYS *Cælii Aureliani*, dicentis & docentis, certò fieri nonnunquam in homine rabiem absq; externâ manifestâ causa.